

# TABULA XVII. DE TOTO.

Quod Compositum appellatur, quatenus simpliciter opponitur, idem dicitur Totum, quatenus vel partibus vel mutilo opponitur. Cum itaque de Composito actum sit; De Toto nunc agendum (a), & prout opponitur

I. Partibus, sicque definiēte Aristotele l. V. Met. c. XX. est Ens, continens ea, quæ continentur, ut illa sint unum. Materiale Ens est; Formale in his duobus consistit: (1.) continere plura. (2.) ut ista plura sint unum. v. gr. in corpore humano plura sunt membra, omnia verò illa membra corporis, cum multa sint, unum tamen corpus sunt. TOTALITAS ergo est relatio continentis ad ea, quæ continentur; & fundatur in Unitate. Quò igitur ea, quæ continentur, magis unum quid sunt, eò magis continens totum est. Unde ratio totius magis iis, quæ natura, quam quæ arte unum sunt, convenit. In infimo ergo gradu sine dubio collocantur Entia per aggregationem, præsertim si ex partibus nullò ordine compositis consent. Estque TOTUM

I. INTEGRALE, cuius quantitas quantitate partium constituitur, v. gr. Corpus humanum est totum integrale, quatenus ex capite, thorace & ventre constat (β). Horum enim partium quantitate quantitas totius corporis humani constituitur. Et

Ex Aristotele l. II. de part. Anim. c. 1. duplex est, vel

SIMILARE, cuius partes & inter se & cum ipso toto ejusdem rationis ac nominis sunt. Dicitur Græcis ομοιομερές, ut aurum, aqua, æs; quælibet enim partium auri est aurum.

DISSIMILARE, cuius partes & inter se & ab ipso toto diversa rationis ac nominis sunt. Ut homo, vel corpus humanum, quatenus ex carne, cute & ossibus constat, aut ex capite, thorace & ventre; & hæc vicissim ex aliis partibus, ut caput ex oculis, naso, auribus &c. Nulla enim harum partium, uti per se patet, ejusdem rationis & nominis cum alia est, multò minus cum toto homine. (γ)

Secundum eundem Aristot. l. V. Met. c. 26. tripartita totius integralis oritur divisio, ut aliud sit simulare tantum, aliud dissimulare tantum, aliud simile & dissimulare simul. Hinc totius continui in oppositione partium diversa signa esse, aliudque omne, aliud totum, aliud omne & totum, diversâ ratione appellari docet. Quod ita explicatur:

I. Quando partium transpositio nullam omnino differentiam, neque in materiâ neque in formâ efficit; tum, quod ex iis constat, non totum sed omne dicitur. Ut omnis aqua, quæ est in cantharo: omnis ær, qui est in hypocausto. Quod si quid horum totum diceretur, non nisi metaphoricè, ita dicit Aristoteles monet. Et hoc totum simile tantum est.

II. Quando partium transpositio undequaque & in materiâ & in formâ differentiam efficit; tum, quod ex iis constat, non omne, sed totum dicitur; ut totum animal, tota arbor, tota navis. Et hoc dissimulare tantum dicitur.

III. Quando partium transpositio partim facit differentiam, partim non facit; tum, quod ex iis constat, diversa ratione totum & omne dicitur: ut omne æs; & totum æs, quatenus sic vel aliter figuratum est. Siquidem partibus æris transpositis, non mutatur æs, quatenus est æs; mutatur tamen ejus figura. Sic statuæ æneæ partes non possunt transponi, v. gr. caput & pedes, quin figura statuæ prorsus immutetur, manente interim ubique ære. Et hoc simul simile & dissimulare totum est.

II. Totum Essentiale, cuius partium una est, ut potentia, altera ut actus, constituentium unam essentiam. Estque vel

PHYSICUM, quod ex materiâ & formâ constat, & cuius partes sunt realiter distinctæ, ut quodlibet corpus naturale, e. gr. homo respectu corporis & animæ rationalis. (δ)

METAPHYSICUM, seu LOGICUM, cuius partes ratione tantum distinguuntur, quale est species respectu generis & differentie, ut homo quatenus ex animali & rationali constat. (ε)

III. Totum Universale est quodlibet genus & qualibet species, comparatione inferiorum, siue eorum de quibus predicantur. v. gr. Animal respectu hominis, equi, canis: Homo respectu individuorum, Petri, Pauli, Johannis. (ζ)

IV. Totum Potestativum est, quod plures habet potentias, per quarum quamlibet peculiare quid POTEST agere. Sic potentia animæ sæpiùs dicuntur partes animæ. Et anima est totum potestativum respectu potentiarum istarum. (η)

V. Alii addunt Totum perfectionale & Numerale. Totum perfectionale appellant, quod habet summam perfectionem, ut DEUS, vel saltim completam in suo genere, ut angelus, punctum. Hoc Totum destituitur interdum partibus propriè dictis. Numenale, quod est numerus comprehendens pluralitatem numeratorum, ut duodenarius continens XII. Apostolos.

II. Mu-